



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Bona disciplina.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

ymbis & fertis medio intervallo dependentibus. Ajunt vero Libonem primum tribunal & subse-  
lia prope Arcum Fabianum collocasse. Hinc Horatius: *Forum putealq; Libonis mandabo fecit*: quia  
scilicet forensia præcipue sibi deposcunt sobrietatem. Et Ovid. de remedio:

*Qui puteal Janumq; timeret celeresq; calendis.*

hoc est, qui se rapi timet in jus, & qui alienum pascit ars, quod scilicet calendis singulis efflagitur.  
Neque illud dissimulandum fuerit, in numi ipsius inscriptione duo esse observatione non indigna in  
Scribonii nomine  $\alpha$  literam jacentem atque lupinam, & PAULLUS gemino LL, notatum ex Teren-  
tii Scauri sententia atque præcepto, neque non ex antiquorum usu, quod in plerisque monumen-  
tis observari: neque proprium tantum nomen, verum & adverbium PAULLUM eadem lege scriben-  
dum Grammatici veteres censuere, ut illud Romæ: *HOSPES QUOD DEICO PALLUM EST ASTA ET PEL-  
LIGE*: & hujusmodi pleraque.

JUDICIUM COMPOSITUM. CAP. II.

Atque illud in Lyra præcipuum, quod hominem compisti judicii, quique aures eruditas habe-  
ret, significabat: ea siquidem diversas componit voces & concordia omnes tono temperat:  
quod munus in diversæ rationis affectibus componendis videtur homo præstare, ut non immerito *Αναειροση*  
Diogenes Cynicus carpere sit solitus Musicos, qui cum Lyrae chordas congruenter temperarent, *ἤχων τῆς*  
animi mores inconcinnos haberent. Eadem mordacitate Isidorus Cynicus Neronem transeuntem *ψυχῆς τῆς*  
in publico clara voce corripuit, quod Nauplii mala bene cantitaret, sua bona malè disponderet, neq;  
illum in vitæ tenore temperamentum adhiberet.

INÆQUALIUM CONCORDIA. CAP. III.

Statuebatur & in Mercurii manibus Lyra, idque hiero-  
glyphicum ostendebat, concentum omnem ex vocum  
inæqualitate constare: concentus vero hominum est, cum  
varia voluntates in consensum unum contrahuntur. In  
singulis vero mortalium concentus ille est, quo quis beati-  
tudinem assequitur, ubi scilicet res & congruenter tempera-  
vit, & ad amissum exploravit, Plato animam in Timæo con-  
centum & concordiam vocat. Aristoxenus & Dicæarchus  
harmoniam dixerunt. Lyrae igitur merito dominus Mer-  
curius.



Æn. lib. 6

— *Qui animas nunc evocet Orco  
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittat,* ut Maro.

BONA DISCIPLINA. CAP. IV.

Est & Musarum insigne Lyra. Musas Eusebius à *μῦσος* di-  
ctas arbitratur, quod significat honesta bonaque disci-  
plina instituire: easque Orpheus & Proclus in hymnis reli-  
gionem hominibus monstrasse dicunt, quemadmodum  
& Orpheo id attribuant, ut sua visonæ testudinis concentu,  
hoc est, placidis & apte compositis verbis fera hominum  
corda mitigarit, agrestes mores expoliverit, & dispersos va-  
gosque mortales in coetum unum congregarit. Apud Aristo-  
phanem legas, per citharæ callentem, hominem sapientem,  
& Gratiis omnibus ornatum, à veteribus judicatum. Divi-  
na quoque literæ citharam pro morali virtute acceperunt,  
utpote quæ in actione consistat. Et in hujusmodi significa-  
tum Theologi dictum volunt Psalm. XLIII. *In cithara tibi  
confitebor.*



Hinc Ho-  
merus can-  
torem mo-  
rum corre-  
ptorem ap-  
pellavit O-  
dyss. lib. 3.  
Sic Plato a-  
nimam har-  
monia no-  
mine appel-  
lavit.

RATIO.